

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> HISTORICA

De

## T E M P L I S,

*Quam consentiente Ampliss. Senat. Philos.  
in Regia Academia Aboensi*

PRÆSIDE

## HENRICO HASSEL,

*Eloquent. Profess. Reg. Et Ord.  
h. t. Rect. Magnit.**Publico Examini submittit*

## GEORGIUS WASSMANN


*Aboensis.*

Die 19 April. Anni MDCCXXXV.

loco &amp; horis consuetis.


A B O Æ,

Excud. Joh. Kiämpe Reg. Ac. Typ.



# CONSPECTUS.

- §. I. Denominationem Templi attinet.
- §. II. In Originem Templorum apud gentiles inquirit.
- §. III. Quibus in locis, ex qua materiam & qua forma gentiles templa extruxerint sua, exponit.
- §. IV. Consecrationem templorum apud paganos tradit.
- §. V. De Juribus templorum apud eos & praecipue Asyli agit.
- §. VI. Quædam de templo Hierosolymitanæ profert.
- §. XII. Originem Templorum apud Christianos investigat.
- §. VIII. Structuram.
- §. IX. Consecrationem.
- §. X. Jura templorum apud eosdem considerat.



## §. I.

**N**on operæ pretium esse exi-  
stimus inquirere , vox  
Templi unde originem  
habeat. Parum enim re-  
fert novisse , an a Græcis ver-  
bis Τέμπλον secare , vel Τημενόν defi-  
nire , an vero a latino tueri de-  
rivanda sit , modo constiterit ,  
quid per templo hic intellectum  
velimus. Accipimus autem hoc  
vocabulum eo in sensu , quo a-  
pud scriptores latinos frequentis-  
sime occurrit , ut nimirum desi-  
gnet ædificium aliquod publicum ,  
ubi cultus Divinus perficitur.  
Quum vero constituimus , non-

A

nulla

nulla quoque de Christianorum templis agere; in antecessum notatu dignum esse ducimus, Christianos primis temporibus vocem templi plane detestatos fuisse; quod præcipue eam ob causam fecerunt, quia existimabant illam totam esse gentilem, adeoque superstitionis plenam. Hinc Patres loca sacris peragendis destinata, nunc Ecclesiæ, nunc Basilicas, nunc sacraria vocarunt. Sic Hieron. adversus Vigilant. ad Ripart. Epist. 53. dicit, Julianum persecutorem sanctorū basilicas aut destruxisse, aut in templo cōvertisse. Præter hæc sunt adhuc alia nomina, quæ Christiani templis olim impoluerunt suis, nempe: Domus Dei (\*) domus orationum (β) conventicula, ut ex edicto Maximiani & Constantii pro Christianis edito discimus, Dominicæ, ut videre est in edito

3

eo Maximini, qvod pro Christianis jamjam moriturus promulgavit (γ). Martyria (δ) insuper & sedes doctrinæ adpellabantur (ε). Cum autem nomen templi primævis Christianis abominabile fuerit, dixerit quis forsitan, neque nobis eo uti licere. Verum respondemus, qvod ipsum hoc nomen nihil superstitionis in se contineat; quare nulla suppetit ratio, quo minus ædes sacræ Christianorum illo insigniri possint. Unde etiam id retinent tam aliæ versiones Biblicæ, quam nostræ & Svecana & Fennica, ut videre est Joh. 2. v. 19. I. Cor. 3. 16. & alibi. Ante vero quam ipsam argumenti hujus tractationem aggredimur, Te Lector Benevole exoratum volumus, sis moderatus horum juvenilium conaminum censor. Neque Te offendat, quod in rem tam ampla atq; prolixæ breves

hūus, potioraq̄ tantummodo attingamus. Nam contra angustiam temporis, atque fortunam minus lætam pugnare, difficultum omnino est.

(α) Euseb. lib. 7. Cap. 30. (β) idem lib. 8. cap. 2. Socrat lib. 5 cap 7. (γ) Euseb. lib. 9. cap. 10. (δ) Sozomenus l. 2. cap. 26. (ε) Chrysostomus Hom. 1. in I. cap. Joban.

## 6. II.

**C**entilium vetustissimi nulla habuere templa, quod pluribus probari posset testimonis. Quædam tantum huc transferre sufficiat. De Scythis testatur Herodot. lib. 4. qvod nulli DEorum templo adificari, præterquam Marti. Verum cum unum tamen templum ibi inveniamus; alias adibimus gentes, qvæ se plane a templorum exstruzione abstinuerunt, impie facturos fore censes, qvi Diis fana erigerent. Sic antiquissimi Græci (α) Persæ

(3) Bithyni ( $\gamma$ ) Carmeli atqe Germani at templis carebant. Quid multis? τεργά θέατρα μη σκοδούσιν Zenonis Philosophi & Stoicorum disciplinæ auctoris dogma fuisse Pet. Crinit. refert (4) Sed tatis de his, Annos vero loca quædam habuerint, in quibus convenerant ad cultui D<sup>E</sup>orum vacandum, ulterius videbimus. Eorum multa scriptores passim referunt: Sic antra Græcos Diis consecrasse suis, priusquam templa condi cœperint apud illos, ex testimonio discimus Alex. Sardi; ( $\zeta$ ) Germanos lucos, nemora & altas arbores elegisse Corn. Tac. (5) commemorat. Hinc quercus illæ sacræ, de quibus & Poetæ passim canunt, ( $\theta$ ) & Plin. lib. 16. refert; ad quas populus coivit frequens victimas immolatum. Tales arbores non solum apud Romanos adibantur olim pro templis, Germanosqe  
sed

sed & apud Majores nostros.  
Lucos enim tam sanctos, arbo-  
resq; in illis veteres habuere, ut  
aliquid materiei ibi cædi non per-  
missum fuerit, ut me hac de re  
Stiernhök aliosq; legisse memini.  
Quare vero ejusmodi secretis  
locis delectati sunt antiquitas tan-  
tum non omnes gentes, inquirit  
Hospinian. de Templ. lib. I. Cap.  
I. ubi plurimas adferunt ex variis  
scriptoribus conjecturas. Fece-  
runt hoc nimirum, vel ut scelera  
quæcunq; ibi facillime perpetrari  
possent, nemine conscio (.) vel  
quod existimarent, nihil ornatius  
amœniusq; dari quod cultui in-  
servire posset Divino quam silvæ  
variis arboribus distinctæ (\*). Vel  
tam vasta loca ampliæ, ut sunt  
nemora, maxime convenire DE-  
orum majestati arbitrabantur (λ)  
vel etiam propositum fuit, ut  
adeuntibus silvæ incuterent reli-

gio-

giosum quendam atq; Divinum horrorem, quod Nic. Gerbel, in sua Græcia refert. Conf. Corn. Tac. lib. de Mor. Germ. cap. 93. Senec. Epist. 41. aliiq;. Sed ha-  
etenus a nobis recensita loca non  
dam gentilibus sufficere, verum  
accessere alia, ut specus testante  
Rupert: (u) In specum descendisse  
Minorem refert Laetant. (v) le-  
gesq; inde protulisse. Credebant  
enim veteres umbras atque  
tenebras Numinibus repletas fu-  
isse, ut ibid. apud Valer. Max.  
Siliusq; lib. 1. deprehendimus. Et  
quis poterit omnia adterre, quæ  
sibi veteres tempa fecere? Lapi-  
des, cespites, truncos, ramos,  
fagos & plurima alia consecra-  
bant, atq; ad illa cultui, ceu pa-  
tabant, sacro operabantur. Quas  
vero apud gentes primum tem-  
pla condi cœperint, multum dis-  
putant erudit. Celeberr. Rud-  
beckius

beckius totus in eo est, ut Svecis principatum hac in re vendicet, pluribus probare satagens, quod non tantum primi fana erigere inceperint, sed etiam docuerint alios templa ædificare (ξ) Templa initia sua Ægyptiis debere contendit Herodotus, sic Icribens: Βακχέ τε καὶ ἀγάλματα, καὶ οὐρανοῖσιν εἰπονεῖναι σφίσας περάτας. Et Lucian, περάται μέντοι ὡς αὐθικῶν τῶν ἥμερις ἴδμεναι γυνάπλιοι λεγονται Θεῶν τοὺς εὐροῦν λαθεῖν, καὶ οἱσταθαι καὶ τεμένεα. Ipse Schurzfleischius quoque in antiqu. T. huic adhæret sententiæ. Nec desunt, qui in Italia Janum patrem templo primum extruxisse dicant; quare veteri instituto Latini hunc in sacrificiis perpetuo prætari soliti sunt ut Holp. docet. (ε) Lactant. antiquissimum Regem Melisseum templorum auctorem facit, cui Servius etiam religionem attribuit.

buit. Sunt, qui velint templum Belis jam tum exstructum fuisse, cum turris Babylonica exsurgere, ut Sam. Möll. auctoritate Targum Jonathanis & Hierosolymitanus, aliquip. A pluribus sententiis recenteendis supercedemus, ingenue fatentes, in re ultimæ antiquitatis, tantum inter se dissidentibus Historicis nos nihil certi statuere posse. Ulterius disquarentes, quæ fuerit cauilla, propter quam gentiles templa condere cœperint, animadvertisimus, quod fecerint illud in honorem simulacrorum suorum. Nimirum, confecere veteres gentes sibi imagines demortuorum bene de se meritorum, ut ex Valer. Max. passim discimus, aliisque, quæ ut in certo quoddam ponebantur loco, ad hoc templa exstrui consultissimum ducebant. Conf. Jac. Guth, in de Jure vet.

Pon-

Pontif. (π) Quid? qvod illos vivis  
 etiam ædificasse sacras domos,  
 doceat nos itid Valer. Max qui ho-  
 nor M. Valerio Consuli A:o. u. 248.  
 habebatur. Hi tamen Deorū in nu-  
 merū prius non referebātur, qvam  
 mortui erant, juxta illud: *si Divus,*  
*modo non sit vivus*, ut Caracalla  
 dixit consecrans fratrem suum  
 Getam. Non tamen spēnendæ  
 aliorum qvoqve sunt rationes, ut  
 qvod tempa initia debeant sua  
 sepulcris Heroum (ρ), votis (σ)  
 Miraculis (τ) & fœderibus (υ).  
 Progrēsu qvoqve temporis eo  
 dementiæ adducti sunt, ut cuiq  
 fere & virtuti & vitio tempa e-  
 rigerent, qvæ nunc recensere  
 tempus non permittit.

(α) *Alexand. Sardus lib. 3.* (β)  
*Herodot lib. I.* (γ) *Alexand. lib. 2.*  
*cap. 22.* (δ) *Schurtzfleis. bius in de-*  
*antiquitat. templ.* atque *Gyrald. de*  
*Diis gentium Syntagma. 17.* (ε) *lib.*

14. cap. 12. de honest. discip!. (?) lib.  
 3. de moribus & ritibus gentium (n)  
 lib. I. annal. (g) Virg. lib. 3. Georg.  
 v. 332. seq. (i) Munster. in suis ad  
 lib. I. Reg. 15. Sozomenus lib. 5. cap.  
 19. (u) Virg. lib. I. Aeneid. (v) Hespr.  
 de T. cap. I. (w) Dissertat. ad Valer.  
 Max. lib. I. cap. 2 & 3. (x) lib. I. 22.  
 (y) in Atlant. (o) Cap. V (π) lib.  
 3. cap. 7. p. 375. (e) Prudent. lib. I.  
 contra Symmachum (σ) Hespr. cap. V (τ)  
 Plin. lib. 36. cap. 14. (v) Dionys. Halicarn. lib. 4. p. 229.

### §. III.

**H**omines cum primum tantæ non essent multitudinis, ut terram ubique occupare posset, sedes fixerunt suas in locis salubritate, amœnitate atqve altitudine præ cæteris conspicuis. In de quoque haud procul exstruxerūt fuisse templæ valde credibile est. Hinc accipimus templum Jovis Ammonis loco conditum fuisse saluberrimo referente Curt. lib.

lib. IV. cap. VII. Upsaliense, a  
mœnissimo, ut Peringsköld tra-  
dit aliique, Fennicum planissimo,  
prout ex *Ronunga Sagin* / cap.  
132. discimus. Ad Romana quo-  
que templa si accesserimus, nil  
frequentius in eorundem comme-  
moratione comperimus, quam  
quod locata fuerint in hoc vel il-  
lo colle. Sic Quirini fanum e-  
rectum in colle quirinali, vide-  
bis apud Quintil. L. I. 6. p. 79 Ve-  
neris in vertice montis Libani  
positum fuisse narrat Euseb. lib.  
8 ut alia taceamus Postea vero  
quibuslibet in locis templa ex-  
struxerunt. De Augusto legimus  
apud Svet. in vit. ejus cap. 96.  
quod locum castrorum suo-  
rum verterit in templum. Do-  
mus quoque privatæ apud Gen-  
tiles in fana factæ sunt, ut Plu-  
tarch. in vit. Timoleont. te-  
statur. Justinus etiam lib. 20. cap.

¶ afferit, quod Metaponti Pythagoræ tanta fuerit admiratio, ut ex ipsius domo templum fecerint. Præterimus arces, vias, agrosq; quæ præcipua fuisse templorum loca tradunt scriptores. Taceamus quoque loca, ubi oraculum digito quasi ostenderit templum a dñicari debere, de quibus Hosp. videatur de T. De cætero, ut DEos non credebant unus esse naturæ; ita omnibus illis, uno loco templo non ponenda esse, existimabant. Hinc Martis, voluptatum, rixarum, incendiorūque patronorum templo intra moenia urbis non repieres. Sic de Iside & Serapi constat, quod extra pomerium illas collocarint, ceu scribit Laur. Pignorius in expositione mensæ Isaiae. Pacis vero, pudicitiæ & artium quarumcunque Dii in, civitates admittebantur. Quam rem proli-

prolixius Hosp. auctoritate Her-  
truscorum disciplinæ nos docet  
cap. VI. de T; ubi quoq; ostendit,  
quædam tamen hinc excepta fu-  
isse, ut Jani fanum, quod in fo-  
ro fuisse Romano ibid. inveni-  
mus, ut alia prætermittamus.  
Materiam porro, quod attinet,  
ex qua constiterint antiquissi-  
morum gentilium templa, il-  
lām apud plurimas gentes re-  
perimus non admodum fuisse  
pretiosam. Sic Jovem pauperti-  
na delubra commendasce, & e-  
bur, aurum, marmor posteriorū  
rejecisse atque explosisse, disci-  
mus ex observ. Rupert. ad Vellej.  
Patercul. cap. II. § 3. Et si ve-  
tustissimæ templi Fennonum re-  
cordemur, nil illud aliud, quam  
domum tabulatam fuisse, ex Ko-  
nuugasagun cap. 132. animadver-  
tes. Aegyptii vero, templis pri-  
mum superbire incepisse perhi-  
bentur. Nec aliud frequentius  
de

de laniis eorum legimus, quam  
quod elaborato marmore, auro,  
picturis & cæteris ornamentis fue-  
rint decorata. (a) Ædem quo-  
que Ephesiæ Dianæ a tota Asia  
220 annis exstructam, si memi-  
nerimus, materiam nobis osten-  
tat magnificentissimam, dictuq;  
difficillimam, Consul. Plin. lib. 36.  
cap. 4. Quis poterit omnia heic  
recensere? Brevibus nos expedi-  
emus. Primi temporibus gen-  
tiles, ut & alii simplices fuere,  
& non calluerunt artem archite-  
cturæ, in qua demum posteritas  
tantum profecit, ut vix aliquid  
supra desiderare posses. Hoc ad-  
huc oblierves velimus, quod at-  
tenderint antiquæ gentes etiam  
qualis esset DEus vel DEa, cui  
templum fieret. Si erat eorum,  
qui delicias quascunque volunta-  
tesque commendarint hominibus,  
ut Venus & cæteri, illis vulgo  
lana erexerunt pompam præ se  
fæ

ferentia minus necessariam, non item Diis severæ indolis. Quam rem Sam. Möll, de T. auctoritate Vitruvii ostendit, cont. etiam Weidler. in institut. Mathes, cap. de architectura civili, ubi multos ædificandi modos recenset. Figuram vetustissimorum templorum duplicem potissimum fuisse observamus. Velenim erant rotunda, ut Jovis Ammonis in Ægypto, & Vestæ Romæ, vel quadrata, ut Jovis Capitolini & alia. Petrus Bäng (β) templum Upsaliense ad imitationem Hierosolymitanum exstructum fuisse contendit, sed suo more solis tantum conjecturis nititur. Dividebant plerumque antiquæ gentes templo sua duas præcipue in partes (γ) Quanquam non desint, qui nonnulla trium, ut Bäng Upsaliense, & alia quatuor faciant partium, ut Marsham, Can. Chren,

p. 210. Ægyptiorum fana describit.

(α) Cœlius lib. 6. cap. 5. (β) de prisca Sycophat. (γ) Hopinian. de rebus T. cap. I.

#### §. IV.

**C**onsecrariunt olim gentiles multa, de quibus Cicero præsertim in oratione pro domo sua ad pontifices consuli potest. Dicebantur quoque infantes consecrari, cum ablactarentur, ut Hosp. de T. cap. IV. assiterit. Maxime vero solennes omnium, & imperatorum & ædium sacrarum apud illos fuere consecrationes. De illis Herodianus lib. IV. Cap. 2. tam luculenter nobis omnino agere videtur, ut nil supra desiderari queat. Templa autem certo alicui DEo ut plurimum consecrabantur. Hinc quoddam Jani fana, aliud Martis, hoc Junonis, illud Appollinis tuisse, in hoc

hoc mansisse Herculem, in isto  
Summanum, & sic de ceteris  
tradunt. Quædam universo De-  
orum choro dedicabantur, ut  
Pantheon apud Romanos. Post-  
ea vero eo adducti sunt, ut ho-  
minibus quoque ea dedicarist.  
Conf. Sveton. in vit. Aug cap. 52.  
Cic. Tac. aliique. Nonnulli scri-  
ptores adfirmant, quædam tem-  
pla apud gentes vero DEo con-  
secrata fuisse, quod Pet. Bång  
de vetustissimo fano Upsaliensis  
pluribus demonstrare conatur (2).  
Priscos quoque Romanos per lon-  
gum temporis spatium conser-  
vasse plurima antiquissimæ illius  
veræ religionis, Rupertus (3)  
tradit. Sed omissis his, brevibus  
ipsum actum consecrationis con-  
siderabimus. Quæadmodum gen-  
tilium religio fere tota in cære-  
moniis consistebat; ita circa con-  
secrationem templorum copio-  
sum

sum earum apparatum adhibuerunt. Variæ etiam gentes circa hoc varios usurparunt ritus, quos recensere nimis foret prolixum. Exempli tantum loco adferimus, quod commemorat Tacitus Histor. lib. IV. cap. 53 de restitutione Capitolii: Undecimo, inquit, Kal. Julias, serena luce, spatiū omne, quod templo dicabatur, evinctū vittis coronisque. Ingressi milites, quibus fausta nomina, felicibus ramis. Deinde virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis matrimisque, aqua rivis & fontibus amnibusque hansta, pertuere. Tum Helvidius Priscus prætor, precente Plauto Eliano pontifice, lustrata suovetaurilibus area & super cespitem redditis extis, Joves, Janonem, Minervam, præsidesque imperii Deos precatus, uti coepta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas, divina ope attollerent, vittas, quis ligatus lapis, innexique funes

erant, contigit. Simul ceteri magistratus, & sacerdotes, & senatus & equestris, & magna pars populi, studio latitiaque connixi, saxum ingens traxere, passimque injecte fundamentis argenti aurique stipes, & metallorum primitiae milis fornacibus vixit, sed ut gignatur. Prædixere haruspices ne temeraretur opus saxo aurove in aliud destinato. Notatu dignum est cum exstructione deinde pergerent, quod nemo se subduxerit cujuscunque esset conditionis. Et imperatores quoque ipsos hoc in negotio plurima fecisse legimus, colloqve suo necessaria extulisse ; ut de Vespasiano apud Svet. in vit. ejus cap. 8. circa restitutionem Capitolii exstat. Uude illud etiam colligimus, quod imperatores adfuerint, cum templa dedicarentur apud Romanos. Quamvis non negandum sit, quin hic honos aliis quoque fama atque auctoritate

conspiens aliquando contigerit.  
 Conf. Pet. Tali de T. Verba ve-  
 ro consecrationis proferens ponti-  
 tex, hoc faceret sine titubatione  
 atque intermissione minimæ sylla-  
 bæ. Alioquin tota dedicatio incas-  
 sum fuit. Hinc Senec. in lau-  
 dem M. Horatii Pulvilli ad Mar-  
 ciam cap. 13. scribit, quod cum  
 nunciabatur ei mors filii ejus,  
 istud te exaudisse dissimularit,  
 sed postem tenens & Capitolium  
 dedicans, solemnia Pontificalis  
 earumq[ue] conceperit, gemitu que  
 non interrumpente precationem,  
 & ad filii sui nomen Iove propitio  
 &c. Fiebant præterea apud gen-  
 tiles anniversariæ consecrationes,  
 quod Pausan. nobis ostendit lib.  
 5. dicendo, quod apud Eleos  
 quotannis die XIX mens. Feb.  
 aruspices cinerem ex Prytaneo  
 deportarint, eocq[ue] aqua ex Alpheo  
 amne diluto, aram Iovis Olympii  
 obliverint. Dedicaturi templum  
 ali-

aliquid, offerebant quoque in memoriam grati animi pro primiis legumina elixa. Unde Aristophanes dixit: *Testor Jovis Herculei ollas, cum quibus ara olim dedicata est.* Non negandam tamen, quin sumptuosiori hostia aliquando cōlecrationes apud illos factae sint. (γ) Postremo dederūt veteres gentes in consecratione, templis suis quædam jura atque immunitates, de quibus mox aliqua dicemus.

(α) *de Sveogot.* Prisc. lib. IV.  
 (β) *In obseru. in Val.* Max. lib. I.  
 cap. I. (γ) *Hosp. de dedicat.* T.

### §. V.

**C**Uram templorum suorum gentiles olim gessisse maximam, ubique comperimus. Hinc Fennos, ut de aliis nil loquamur, non solum assiduas egisse ad templum Dei sui Jumala vigilias, sed & id defendisse pro virili, cum hostile quid illi immineret,

ex

ex Konungasag. cap. 132. discimus. Habuere præterea gentiles fana tam sancta olim, ut si quis eorum violator inventus fuit, eum in ipsos Deos injuriosum fuisse existimarent. Unde tantum non omnes imperatores apud scriptores reperies ædi semper pepercisse sacræ. De Agesilao, cont. Corn. Nep. In Vit ejus cap. IV. 6. De Alexandro, Curt. lib. IV. cap.. IV. 13. De Tiberio, Corn. Tac. annal. lib. III. cap. 61. 3. Et quod maxime miraberis, noluere inferre injuriam fedi Deorum, quos ipsi non coluere. Jus vero asyli præcipuum animad. vertimus fuisse templorum. Quod primum institutum fuisse legimus eorum in usum, qui non destinato animo consultoque aliquem læserunt, ut Vergil (<sup>a</sup>) tradit alii. que. Unde primum templum omnium Athenis a nepotibus Hercu-

Hereulis ad hoc exstinctum, fanum misericordiae vocabatur. Consul. Serv. 8. æneid. & Statius 2 Thebaidos. Jure idcirco Gylippus apud Diod. Sicul. Lib. 1. 13. illos, qui dolo malo, quique injusta alieni cupiditate in mala inciderant, a locis refugii arcendos esse existimat. Ovidius quoque lib. 5. de Persei Phineique pugna, indignum esse dicit, scelerato prodesse aram. Et hominibus nefariis in fano jus asyli non deberi, seite dixit quondam Philo Iudeus. Postea autem hic modus laudabilis innocuos defendendi in abusum abivit, ut sine discrimine tam probi, quam improbi ad templum confugerint, ibique turi ab omni vi fuerint. Talem refugii locum Nimrotho, Gigantie Babylonie, Gilbertus Cognatus Narrat: lib. 4 atque Cadmo Thebis fuisse Alex. ab Alexand. lib. 3. cap. 20. osten-

stendunt. Aperiebant nimirum homicidis, latronibus atque capitalis supplicii reis hi ipsi tempa alyla advenientibus futura. Qvod & Romulus atque Remus secuti sunt, ut eo modo facilius cives ad se traherent ( $\beta$ ). Hunc perversum morem imperatores cum plurimum detrimenti damniqve reipublicæ adferre intelligerent, privilegia aylorum, immunitatesqve iustulerunt; qvod primum Augustus qvoad magnam partem fecit ( $\gamma$ ), & deinceps Tiberius consulavit, qui pertæsus tantæ aylorum libertatis, hæc privilegia in totum abrogavit. Conf. Svet. in Vit. ejus cap. 37. Verum ne-  
mo eas foveat cogitationes, qvod tempa tantum fuerint alyla, & non alia etiam loca. Nam lucos atque nemora ad hæc consecrata quoqve passim invenimus; ut lu-  
cum Romæ a Romulo aylum fa-  
ctum

Etum, imo (§) civitates & (ε) littora, (ζ) Præter hæc innumeræ aliæ immunitates competebāt templis, qvarum has enumera-re sufficiat. In multis casibus non nisi loti in templo admittieban-tur. Unde Clemens Alexand. legem habuisse Ægyptios di-cit, ne quis templum a vene-re recens, nisi lotus, ingredere-tur. Omnia quoque profana a sacris arceri voluere olim gentes juxta formulam: *Procul binc mo-neo, procul binc quæcunque profana.*  
 (n) Vel: *ite profani, sacer est Ie-eus, ite procul* (θ). Non munie-bantur solum ipsa fana amplis apud gentes privilegiis juribusque, sed & quæcunque in illis contine-bantur. Quapropter opes, plu-rimos illuc olim deposuisse legi-mus suas. Quod collectu facilli-num est ex Hannibal's facto ex Corn. Nep. in Vit. ejus cap. 9.

Qvæ-

Quæcumque etiam petinebant ad sacra antiquarum gentium. ut agri &c. in illis nil mali committere maxime severissimeque prohibitum fuit. Quid? qvod neqve mejere in illis fas fuit; ut Perseus testatur l. 113, sic scribens: *Pueri sacer est locus, extra mejite.* Et Juvenalis: *Cujus ad effigiem tantum non mejere fas est.* Videmus in eo adhuc templorum gentiliū auctoritatem, qvod sanciverint, ut si qvis vel justa cæde inquinatus esset, prius tamen se purgaret, qvam ad sacra illi aditus pateret (1). Præcipiebatur etiam, qvo qualique vestimentorum genere homines ad tempora gentiliū accederent. Candidas vero vestes ceu optimas commendarunt. Apud Plut. in Rud. a. 1. 1c. §. hæc verba occurruunt: *Ergo equius vos Candidatos venire hostiatos-*

*que*

que ad hoc fanum, ad istum modum  
non veniri solet. Atris vero vesti-  
bus procedere non fuit licitum.  
Conf. Corn. Tac. Annal lib. 8 cap.  
6. De cætero, tam pura sancta-  
que habuere templa sua gentes  
omni, ut nec mungere se cui in  
illis licitum fuerit, prout testatur  
Arrian. in Epictet. lib. 4. cap. 11.  
Et quod adhuc magis miramur,  
non permittebant jura, ut cada-  
ver spectaret, nedum tangeret  
facerdos Jovis, ut vid. est ex fra-  
giment. Historic. Fabii Pictoris ap.  
Grut. Jejunium etiam imperabant,  
saceris cum aliquis initiaretur.  
Hinc Julius Cæsar decem dies ab  
estu carnium atque vino in cul-  
tum Iridis sese abstinuit (\*). Po-  
stremo pertinebat & hoc ad jura  
templorum, ut saluberrima præ-  
cepta acciperent inde homines &  
oracula consilii plena. Præce-  
ptorū istiusmodi Cic. 4. de finibus

me-

meminit, recensendo hæc, qvati  
 præcipua: Tempori, nimis. est pa-  
 rendum. DEus seqvendus. Qvisq;  
 seipsum noscat. Nihil nimis. De o-  
 raculis hoc loco agere per brevita-  
 tem nobis propositam non licet.  
 Magnam templorum gentilium di-  
 gnitatem olim fuisse, ex eo et-  
 iam animadvertisimus, qvod non  
 permiserint, cum arma ancilia  
 mente Mart. per 30. dies circum-  
 gestar; ētur, ut publicæ aliquæ gere-  
 rentur curæ, armaq; caperen-  
 tur (Δ) neq; ut iter suscipere-  
 tur (π). Idem de festis diebus Mi-  
 nervæ Xenophon qvoq; testa-  
 tur, qvod publice privatimq; ve  
 diligenter observarent, ne incho-  
 ato festo, nedum peracto. qvic-  
 quam aggrederentur. Prohibiti  
 fuere ad simulacra accessuri ado-  
 raturiq; ne lugerent de infor-  
 tunio aliquo, ut ex antea cit. Se-  
 nec.

neca loco de M. Horat. Pulvillo colligere possumus, atqve Casaubono ad Spartanum de Vero Marco. Infimum inter jura ista locum occupat, qvod loca sacra in profanum usum non siverint transferri (ν) Hæc & plura alia, qvæ his angustis non includi possunt pagellis, si inspiciamus, unde originem traxerint, non dubitamus afferere, qvin plurima saltem, ex populo DEi emanaverint, atqve ad gentes devenierint, qvemadmodum rivuli quidam doctrinæ revelatae in mundum se diffuderunt.

(α) lib. 3. de invention. rer. cap. 12. (β) Liv. lib. 1. & Dionys. Halicarn. lib. 2. (γ) Strabo Padianus in Epitom trium part. terræ in Ionia, & Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 20. (δ) Ouid. lib. 3. fast. & Dionys. Halicarn. lib. 2. (ε) Plutarchus in Romulo. (ζ) He. redot

rodot. lib. 2. (n) Silius lib. 17.  
 (9) Calpurnius Ecloga 2. (1) Vir-  
 git. lib. 9. aeneid. & Turneb. l. 22.  
 Advers cap. 17. (x) Plutarch. in  
 lib. de Içide & osiriae. (A) Sueton.  
 in vit. M. salv. Othon. cap. VIII.  
 s. (u) Liv. lib. 7. p. 954. (.)  
 Pl.n. Hist. nat. 10. 3.

### §. VI.

**P**eracta sic qualitercunq; tem-  
 plorū apud gentiles tractatio-  
 ne, jam ad populum DEi, ut vo-  
 cantur passim Judæi, transitum  
 faciemus. Divisione heic statim  
 temporis in ante- & post- Dilu-  
 vianum opus est, secundum qvā  
 videbimus, qvando primum tem-  
 pla habuerint. Tempore a con-  
 dito mundo ad illud, quo totus  
 erbis, & omnia, qvæ in illo fue-  
 runt, aquis immergebantur, an  
 templo qvædam extiterint, nec  
 ne, ut sacra scriptura non defi-  
 nit, ita ex silentio illius probabi-  
 liter

liter colligimus nulla tum fuisse; qvippe qvum cæteroqvin aliquā talēm eorum mentionem fecisse credibile admodum sit. Sic etiam posteritas Noachi ad tempora Salomonis templis caruit. Tempa, inqvam, plane nesciverunt Patriarchæ, atqve pro his usi sunt nemoribus & arbustis Gen. 21. v.

**43.** Qvæ progressu deinde temporis aliam plane induerunt faciem, factaqve sunt loca, ubi non, ut primum verus colebatur Deus, sed Dii varii fictitii. Hujus facti DEus illos multis in locis reos agit in Vet. T. Utebantur vero primi homines tunz lucis, cum alicubi diutius potuerunt permanere. Sed si proficiisci illis necesse esset, tunc tabernaculum senioris cujusdam in templum sibi elegerunt. Conf. Exod. 33' v. 7. seq. cujus vicem tabernaculum a Moše jussu ipsius

us DEI exstructum, die prima mensis primi ( $\alpha$ ) anni secundi exitus ex Aegypto, ubi que suppleret ( $\beta$ ). Communis sententia est illa, quod aedificatum hoc sit A:o Mundi 2455. Quapropter non videmus, quo jure Sam. Möll. in diss. de T. V. illud ipsum primum A:o 2514 erectum dicat. Nam Mosen cum jam mortuum fuisse Chronologianos docent. Tabernaculo apud Israëlitas invento, nemo existimet, quod jam templum apprehenderimus, ubi gradum sistere debeamus. Adibimus igitur templum Hierosolymitanum, quod unicum in toto isto regno, omnem populū Israëlis continente reperimus. Voluit Deus hoc ipsum sibi exstrui, non solū ut proprium præcipuumq; domicilium, sed & in præfigurationem adventus sui in carnem. Aedificabat autem

tem atque erexit illud Salomo filius Davidis, Rex Israëlis ditissimus sapientissimusque omnium Regum, anno imperii sui quarto jam incipiente (γ) Mundi, 3102 (δ). Quantū vero in hoc opus perficiendum impenderit, quisque tacillimo coilecturus est negotio perpendēs, quod operarios 30000, vectores lapidum, aliisque materiæ 70000 & lapicidas 80000 habuerit. Quæ prolixius ipsa tradit scriptura sacra passim, præcipue cap. 6. & 7. 1 Reg. item 2. Chron. 3. seq. In quibus locis templi quoque hujus magnificentissimi sufficientissimam habemus descriptionem. Non itaque moram heic nobis necet, in quo loco, quaque forma conditum sit, non tri partita illius divisio, non consecratio ipsius (ε). Tacebimus quoque fata ejus, a quo & quando destructum, & quo deinde tempore

pore reparatum sit. De quibus ex professo egit Pet. Aurivillius diss. de Templo Hierosol. Illud nunc ostendendum in nos tantummodo suscipimus, quod Salomo architectandi modum ab Aegyptiis aliisque gentibus non mutuatus fuerit. Neque eo egebat Rex omnium rerum peritia instructissimus. Nullum enim hujus rei vestigium in sacra Historia exstat; quod, si factum fuisset, non retinuerisset, cum alias circumstantias aedificationem templi concernentes accurate recenseat. Præterea, cum verum hic DEUM coleret, illi non item; inde quoque concludere possumus, illum in extenuando hoc templo ad nutum Divinum, templa, aras atque simulacra impiorum dirui jubetatem, sibiisque novo exemplo ædem fieri volentem, totum se compotuisse. Hanc etiam Schurz-

fleischii mentem fuisse deprehendimus in Diss. de antiqu. T, ubi variorum scriptorum auctoritatibus suffultus hæc verba profert: *Ægyptii DEO invisi homines, & Hebreis exosæ pariter, ex Mausoleis regum, & sepulcris tempora construebant, eaque omni fœdabant impietate, quorum effingere speciem, & exprimere formam, rationemque exstruendi templi externam, & a peregrina gente petitam consecrari, Hebreis Religio fuit.* Et ut unam insuper addamus rationem, Judæi ædes sacras posuerūt versus occidentē, quod gentes nunquam fecisse legimus (2). Num omnium ædium sacrarum in orbe hoc terrarum, templum Hierorolymitan. antiquissimum sit, disquirunt. Heic cum nec velimus nec possimus fidem Historicorum maximorum tollere, profitemur, si termo erit de fanis cultui idololatrico con-

consecratis, qvod vetustiora o-  
mnino hoc ipso templo Hierosol.  
inveniantur. Aedes vero si inve-  
stigemus, in qvibus veri Numi-  
nis cultus viguerit, nullum eo  
antiqvius quis unqvam reperiet.  
Et parum vel potius nil refert, an  
aliqvod aliud antiqvitate superet,  
multum autem, an in se & usu  
præstantius sit. Jura habuit hoc  
templum Hierosolymitan. maxi-  
ma, qvæ Judæi qvantū in illis erat  
non passi sunt violari. Id etiam  
collectu facillimū cuiq; est vel ex  
eo, qvod Salvator, qvanqvā falso,  
ideo ad mortem damnatus sit,  
qvasi blasphemis hunc locum  
affecisset. Caussam Stephani mor-  
tis a falsis æqve testibus eandem  
allatam vid. act. 6, v. 14. ut nil  
loqvamur de notissimis, qvod in  
sanctum sanctorum nemo, nisi  
summus Pontifex semel tantum  
qvotannis intromitteretur: in san-  
ctum

Etum soli seniores atqe scribae. Et quis poterit heic omnia privilegia ei concessa recensere, quorun*plena* est sacra scriptura? Videbi-mus tamen paucis adhuc, num templo Hierosolymitano compe-tierit jus Asyli. Illud cur affirme-mus, nullibi rationes invenimus, sed civitates habebant, quo con-fugere potuere illi, qui involun-tarie & casu aliquem læssissent (9). Fuere hæc civitates primum sex tantummodo, tres cis, & co-tidem ultra Jordanem. His ta-men DEus tres adhuc addi juberet per Mosen Deut. 19. ut nove-narium complerint numerum.

(a) Exod. 47. 2. (B) Hosp. de T.  
(y) 1. Reg. 6. v. 1. seq: (d) Polydor.  
atque Vergilius lib. 3. cap. 9. (e) 1.  
Reg. 8. (f) Hosp. de T. (g) Exod. 21.  
v. 13. Deut. 19.

## §. VII.

**N**Eqve Christiani primorum a nato Salvatore temporum templis gavisi sunt, sed pro iis utebantur vel ædibus privatis fidelium, ut ex Act. Apost. paßim constat, atqve Eusebio (α), vel cœmetriis, hoc est, sepulcris sanctorum demortuorum (β). Cultum suum in occultis qvibus- cunqve peragebant locis, (γ) qvæ similitudinem qvandam cum an tris atqve speluncis habebant (δ). Et si recordemur persecutionum illarum maximarum, qvibus per tria secula nimium quantum cruciati erant, facile adducimur, ut cum Schurzfleiscio statuamus Constantimum M. ius templorum illis concessisse. Interim non negamus, qvin ante hoc tempus, sub mitioribus imperatorib<sup>9</sup> qvædam saltem templa Christiani sibi condiderint, qvod Eusebius (ε)

(s) testatur sub Alexandro Severe, Gordiano, Philippo & praesertim Gallieno, qui pacem Ecclesiis ubique reddidit, tactum fuisse; qui tranquillus status Christianorum, Diocletiani imperii 19. anno, Euseb. notante, vicissim, ut ante plures, deplorandum expertus est fatum extumque. Hic enim edictum promulgavit, ut funditus omnia Christianorum templa everterentur. Qvod strenua mox exsecutio per praefectos ipso paschatis die secuta est (z). Nec mitior fuit Galerius Maximinus Constantii Chlori in imperio collega (y), usque dum morbo foetido & desperato correptus sanciret, ut persecutiones violationesq; Christianorum cessarent (g). Quid multis? Amplam hanc rem in compendium mittamus: Ab initio Christianismi ad tempora,

qvæ

qvæ supra diximus Constant. M.  
 varia fuit Christianorum conditio,  
 nunc paulo lætior, nunc tristissima,  
 nunc pacifica magis, nunc turbu-  
 lenta, unus permisit illis templa  
 extruere, alter eadem destrui  
 jussit. Qvum vero Constant. M.  
 per decretum, qvod habetur a-  
 pud Eusebium (.), non solum im-  
 munitatem libertatemqve Chri-  
 stianis templa e novo ædificandi,  
 vel gentilia in sua convertendi,  
 daret, sed & ipse plurima extru-  
 curaret (\*), numerus adiū sacrarū  
 mirum in modū crescere cœpit.  
 Præcipue qvum & ipsi imperato-  
 res seqvētes idem institutū magno  
 studio perseguerentur; qvos inter  
 præsertim nominat Justinianū Zo-  
 narastom. 3 qvi non solū ipse nimi-  
 am omnino ad hoc diligentiam  
 adhibuit, verum etiam pontifici-  
 bus Romanis potestatem dedit,  
 vel nova templa ædificandi, vel

ve-

vetera paganorum in usum Christianorum commutandi, ut supra de Constant. commemoravimus (λ). Hinc accepimus Patrieum secundum ut alios prætereamus 365. fundasse Ecclesias. (η) Hinc quoque factum est, quod post annum Ch. 400. extra urbes in cuminumibus montium, imis vallis litteribus maris & fluminum, aliisque solitariis locis & sylvestribus condi cœperint ædificia sacra (ν). Jam non finis fuit templorum. Ex privatis quoque ædibus fecere Christiani sibi Ecclesias A:o 500. (ξ). Et tandem sub Carolo præcipue M. tamen magnifica condita fuerunt, ut dici non possit. Tale fuisse templum Argentinense, Stumpfius (ο) atq; Bergome beatæ Virg. Mar. Bergomenes (π) ostendunt. Qvam vero indigne hanc pompam haud necessariam saniores omnes tulerint, & in

in eis præcipue Patres Hieronymus, Lactantius, Chrysostomus aliquique passim, videri potest in scriptis eorum. Miraberis sane, si tecum reputes, quanta diligentia in ædificationis templis usi sint Christiani antiqui. Non puduit superiores cum infimis heic operari. Constant. M. ablato diaclitate ob numerum 12. Apostolorum 12. cophinos terra plenos humeris impositos bajulans asportavit ad basilicæ exstructionem, ut plurimi testantur (e).

- (α) lib. 6. cap. 10. (β) Theodor. lib. 2. cap. 14 (γ) Verail. lib. 5. de invent. rer. cap. 8. (δ) Hosp. de T. (ε) lib. 8. cap. 1. (ζ) Euseb. lib. 8. cap. 2. (η) Idem l. 8. cap. 16. (θ) Niceph. lib. 7. cap. 3. (ι) lib. 2. de vit. ejus.
- (κ) Socrates lib. 2. Tripart. Hist. cap. 18. (λ) Epiphani. lib. 1. tom. 2. contra hereses [μ] Henric. de Erdfordia. (ν) Hosp.

*Hosp. de T.* (ξ) *Gregor. M.* lib. 8. *Epiet.* 3. (ο) *in Chron.* (π] lib. 2. (ε) *Grut.* *in differt.* 15. *in Tac.* p. 40. *atque Casaubon.* *in act.* *que Sylvesteri commemorat.*

### §. VIII.

**L**oca, quod attinet, ubi Christiani olim templa sua erexerunt, breviter tenendum est, quod varia fuerint. Praeter illa tamen loca, quae necessitas videbatur templis destinasse, ut civibus commodissime inservire possent, hoc observamus, quod veteres Sveci, vel loca sepulcrorum maiorum suorum, quae nostra lingua åttehagar olim nuncupabantur, vel lucos, in quibus superstitione pagana vigente sacrificarunt, (α) templis condendis elegerint. His adhuc accessere plurima alia, ubi nimirum

rum apparitiones aliquas sibi factas fuisse imaginabantur. Tale quid de Geysa atque Ladislao Ungariæ regibus, (6) & Henrico septimo Thuringiæ Landgraviо (7) perscriptum invenimus. De materia, ex qua constiterint primæ Christianorum ædes sacræ, non est, ut multa dicamus. Hæc namque nullam præ se ferebant magnificentiam, ut Patres nos passim docent, quæ temporum Constantini M. cœpit, post Carolum vero M. majorem in modum adcrevit (8). Excellentiā templi Div. Jacobi Venetiis describit Egnatius (9), ubi non aliud, quam quævis pretiosissima nobis ostentat. Cui nil cedere Coloniense templum opere 254. annorum exstructum (10), atque Florentinum (11) scriptores testantur. Brevibus: cum res Christianorum maxime florere vide-

ren.

rentur, erigebant templa, qvæ  
præstantia sua, gentilium qvoiū.  
cunq; fana multis superarent mo-  
dis. Vulgares lapides parcus ad-  
hibebantur in exstruzione ædi-  
um sacrarum (8). Qvam vero  
in formam hi ipsi primum tem-  
pla ædificarint sua, ulterius vi-  
debimus. Circa qvod commu-  
nissimum tantum præcipuumqve  
usum notasse sufficiat. Scilicet  
exstrebant ea primi Christiani  
non in oblongi figuram, qvalia  
nunc tantum non ubiqve vi-  
dentur, sed ad modum pla-  
ne circuli, rotunda. Consul.  
Pet. Duikman de antiquitat. Ec-  
cles. Tredie Flocken. Ubi qvoqve  
causam subjungit, qvare sic con-  
diderint, tempusqve qvo ab hoc  
resilierint more. Chorus vel le-  
eus altaris non fuit in altera par-  
te domicili, ut nobis ubiqve est,  
sed in media, qvod Eusebius (1)

describens formam apparatusq;  
 templorum suo tempore exstru-  
 etorum prolixius demonstrat.  
 Hac ratione altare centrum qva-  
 si constituebat domus istius ro-  
 tundæ, qvod cancellis circum-  
 qvaq; septum erat, qvo nemo,  
 nisi soli presbyteri ministriq;e  
 hisce servientes admittebantur  
 (\*). Cum vero deinde hic mo-  
 dus sub papatu exolevit, varii æ-  
 lii successere, qvorum Sam Möll.  
 de T. V. qvinq;e præcipue re-  
 censet, ut fornicata, a trabibus  
 in tholo cœuntia, pergulis hor-  
 tensibus Lusthius similia, Rorsa-  
 thycior / & quadrata, more pri-  
 vatarum ædium structa. Tur-  
 res quoq;e supra tempia sua præ-  
 altas erigebant, qvod testatur, ut  
 alia taceamus Bergamense fanum,  
 altitudine 574. pedes exedens  
 (^). In apice turris semper illos  
 vel crucis figuram cum imposito  
 gallo

gallo adhibuisse animadvertisimus.  
 Illud in memoriam Salvatoris  
 crucifixi; hic vero ad designan-  
 das vigilias omnibus horis contra  
 hostes Spirituales agendas, adpo-  
 nebantur (¶). Præterea templa a-  
 pud Christianos olim, ut & nunc,  
 versus orientem locata fuisse re-  
 perimus. Non tamen existimam-  
 dum, id factum fuisse ad imita-  
 tionem gentilium. Exstruxer-  
 runt enim Gentiles ædes suas sa-  
 cras versus orientem, ob cultum  
 solis, Christiani ejuscemodi su-  
 perstitionem exosi, versus hanc  
 plagam templa convertunt, ut  
 ad lucem recipiendum eo essent  
 aptiora qvod Pet. qvoqve Diikm.  
 (¶) asserit, dicendo qvod antiquis  
 pertreqvens mos fuerit, qvin &  
 leges tulerint, ut omnes domus lu-  
 ci aptæ conderentur. Qvare nolue-  
 re Christiani nulla cogente ne-  
 cessitate a vetustissima convertu-  
 dine

dine recedere. Vel potuit modus, qvem s̄æpius diximus ædes collocandi originem habere ex Vet. T. consuetudine, qva orantes se ad orientem convertebant (ξ). Vetustissima Christianorum templa ad septentriōnem nullas, vel saltem paucissimas habuere fenestras, ut aquilonem, ventum frigidissimum arcerent. Tam prope quoq; ad cingulum areæ ab illa parte exstructa fuere, ut murus ædis tantum non ubiq; ipsam sepem constituerit. Non enim opus erat illic locum relinquere mortuis sepeliendis, ubi nemo humari voluit. Et si quis ad illam partem terræ mandabatur, id infamiæ quædam nota erat (•). A partibus vero orientali atque meridionali tot fecere lumina, quot ædificium desiderare videbant. Ad occidens, non nisi per pauca inveni-

es. Januas quoque in antiquissimi-  
mis Christianorum templis, ad  
septentrionalem plagam conspiet-  
es nullas, sed ad alias omnes. Et,  
cum omnibus sepulcrum in ipsis  
templis non possit dari, conse-  
tudo exorta est, quod putent  
homines loca ad januas partis  
meridionalis, proxime honore  
accedere locis in ipso fano, & sic  
deinceps, quod memini alicubi  
Per. Dukm. etiam testari. Offert  
se heic quoque occasio opportu-  
na dicendi aliquid de eo, quod  
apud nos corpora demortua o-  
rientem versus directa terræ de-  
mandentur; cuius instituti ratio  
esse potest, quod commodissimum  
volum fuerit, ut funera linea pa-  
rallela cum templo ponerentur.  
Vel iste mos corpora sepeliendi  
proveniebat ex conjectura qua-  
dam inter antiquos, extremum  
ita tandem futurum iudicium  
ut

ut Salvator à parte orientali  
 Hierosolymæ stans, & ad i-  
 plam urbem se convertens ju-  
 dicaret Qvare ita mortuos huma-  
 runt, ut resurgentes occurrant  
 judici (π). Essent præterea qvæ-  
 dam de hoc etiam proferenda,  
 qvod antiqui loca, ubi campanas  
 suas habuerint, qvæ Kläckstaplae  
 vulgo nominari solent, nunquam  
 ad septentrionem posuerint; sed  
 cum illud cuique ex supra dictis  
 patescat, finem demum his im-  
 ponemus, ad divisionem templo-  
 rū apud Christianos properantes.  
 Hic illud in universum est tenen-  
 dum, qvod vix aliquis Christia-  
 norum templa plurimum fuisse par-  
 tium, qvam duarum invenierit,  
 presbyterii scil. seu chori atqve  
 ipsius Gremii (ε). Alii & in eis  
 Sam. Möll. (σ) sic illas expri-  
 munt: Gremium dicunt sanctum  
 seu templum ipsum per excellen-

tiam nuncupari , presbyterium  
vero vel chorūm , sanctissimum  
penetrale. Illuc in <sup>re</sup> vel gremi-  
tūm omnibus patebat aditus , huc,  
nonnisi facetotibus , atqve illis ,  
qvi missam peragerent ac cane-  
rent. Facta est hæc divisio ad  
imitationē Hierosolymitani tem-  
pli , tribus præcipuis constantis  
partibus , atrio nimis. Sancto ,  
atqve sancto sanctorum , hoc tan-  
tummodo discrimine , qvod san-  
ctum sanctorum ministris Chri-  
stianorum non clausum fuerit ,  
ut apud Judæos , ubi soli supremo  
Pontifici semel tantum singulis  
annis id introire licebat. Unde  
factum est , ut atrio facile care-  
re potuerint Christiani. In illa  
vero templorum parte , qvæ san-  
ctum dicebatur , primum non  
aliud inveniebatur , qvam pulpi-  
ta auditorum ( τ ). Postea fugge-  
stus , baptisterium sacraria ac-  
cessi-

cessere, & ultimo organa musica, picturæ & martyrum monumenta. In sanctissimo libri præcipue cantuum notularumque reservabantur. Ad introitum Chori parieti verba impressere antiqui, quibus plebem inde arcerent. Meminit talis cujusdam scripturæ Pet. Diikm. (v) sic sonantis: *Rustice, Buck, quis te tulit huc. Eß locus eorum, qui cantant & non aliorum.* Sed his hactenus a nobis dictis partibus, quidam non contenti, nervos in id intendunt omnes, ut vel trium vel quatuor templa antiqua Christianorum faciant partium; ea sic dividentes, ut a janua fani ad baptisterium prima constituatur pars, deinde a baptisterio ad cho-ri introitum, secunda, & ultimo a cho-ri janua ad altare, tertia, prout hæc divisio in Helsing. L. R. B. 21. Flock invenitur.

Ve-

Verum salva est res. Non dividitur templum hac partitione, sed designatur tantum, qvod dilectorum patratio in uno ejus loco majoris estimata fuerit, quam in alio, ut Pet. Dijkm. etiam sensit. Idem quoque dicendum de quatuor partibus existimamus, Wâcknhus / nimirum, hândrum / Hôg-Choret atque Sacristia / in quas Pet. Dijkm. templo dividit. Quo enim jure cum de æde sacra tantum loqui volumus, ille ex Wâcknhus atque Sacristia peculiares facit templi partes? Qvod si concederetur, quid obstat, quin eodem jure ossuarium, campanisterium, & cætera ejus generis, distinctas templi constituant partes. At sic nimis multiplicarentur

(1) Pet. Dijkman de antiquitat. Eccles. (2) Bonfinius lib. I. § 4. De ced. 2. (3) Cibronol. de ducibus Bavaria.

wie. (δ) Bruscius de Monast. Germ.  
 Fol. 129. (ε) lib. 6. cap. 5. (ζ) Tritt.  
 hem. in Chronol. (η) Palmerius in re-  
 lation. (Θ) Hosp. de T. cap. VI. (ι) I.  
 10. cap. 4. (κ) Euseb. loc. cit. Durand.  
 lib. 5. (λ) Stumpfius in Chronol. (υ)  
 Pet. Diikm. de antiqu. Eccl. (ν) in an-  
 tiqu. Eccl. (ξ) idem (ο) Auct. saec. cit.  
 (π) Ebart. in supplement. Theol. quest.  
 20. (ρ) Hosp. de T. (σ) in diss. de T.  
 Vet. (τ) Hosp. de T. (υ) in antiquitat.  
 Eccl.

### §. IX.

**Q**UOD attinet consecrationem  
 ædium sacrarum, primos  
 inter Christianos hæ factæ sunt  
 solum precibus. (α) His autem,  
 qvæ postea superimpositæ sunt  
 cæremoniæ atq; ritus, vix dici  
 potest. Præter Missam tamen po-  
 tissimam illam superstitionis pa-  
 pisticæ portionem unctio Chris-  
 matis admodum necessaria duce-  
 batur, ut ex bullâ Clementis 6:ti  
 collig.

coili<sup>g</sup>i potest; ubi Sylvestro 1:0  
unctio illa chrismatis aliaqve pu-  
eriles cæremoniæ acceptæ ferun-  
tur. Narrabimus breviter totum  
actum consecrationis, qvalis tūc  
temporis erat, prout vetus qvæ-  
dam Agenda ipsum nos docet:  
Postqvam Episcopus sacris indu-  
tus vestimentis, cum omni cle-  
ro, universoqve populo ad limi-  
na templi consecrandi venerat,  
12. candelæ intus, ante totidem  
cruces in templi parietib<sup>9</sup> depictas  
accendebātur. Primū ad occlu-  
fas templi fores Episcopus ali-  
qot recitabat preces; postea &  
clerus & populus templum cir-  
cumibant, & responsorium ali-  
qvod cantabant, Episcopo parie-  
tes aqua benedicta, qvæ sale mixta  
fuit, cum fasciculo hyssopi asper-  
gente. His peractis, cum ad o-  
stium, unde modo digressi fue-  
rant rediissent, Episcopus repeti-  
tis

tis qvibusdam preculis, ostium accedens, baculo pastorali illud pulsabat: *Tollite inquietus, portas principes vestras, & elevamini portæ aetaiales, & introibit rex gloriae.* Diacono concluso in templo, interrogante: *quis est iste Rex gloriae?* Episcopus respondebat: *Dominus fortis & potens in prælio.* Qvibus absolutis, pontifex januam jubebat reserari, atqve ipse cum duobus tribusve ministris tantum ingressus, foris reliqvis manetib⁹, ter templum alloqvebatur hac iterta salutatione: *Pax huic domui. Ostium denuo mox cludebatur,* & Episcopus ad altare preces faciebat. Tempore, quo Episcopus altare & omnia ejus instrumenta in templo sanctificabat, clerius foris Litanias cantabat, & qvidam sacerdotes humeris fereum gestabant, cui reliquie nouum

vum templum illustraturæ impos-  
itæ erant. Ludebat autem Epi-  
scopus variis in templo ineptiis,  
appingendo litteras parietibus,  
exorcizando sal, aquam, cine-  
rem, vinum: hisque simul com-  
mixtis pollicem intingebat, ac  
sæpius crucis signo altare notabat,  
parietesque interiores templi, at-  
que totam aream. Post hæc ad  
altare rediens, incensum offere-  
bat. Tandem in omnes angulos  
pollice innumeratas pingebat *cruces*,  
hæc adjiciens verba: *Sanctificetur  
hoc templum in nomine Patris, Filii  
& Spiritus S. Amen.* His factis con-  
cionem habebat Episcopus ad  
populum ante ostium templi, de  
variis rebus, quæ tamen magis  
ventrem, quam cultus sacros spe-  
stabant. Et sic omnes simul tem-  
plum horrendo boatu ingressi  
funt: Vid. Joh. Sleidan: (B) hæc  
eadem fere describens. Veteres.  
non

non semel tantum sua templo  
consecravunt, sed annuatim. Qui  
mos inter antiq: issimos omnino  
non viguit Christianos, verum o-  
riginem suam primum Constanti-  
ni M. tempori debet (γ). Ante  
illud enim tempus nullibi apud  
Historicos Ecclesiast. legimus tem-  
plorum dedicationes repetitas fu-  
isse. Qvem deinde morem Gre-  
gorius M. A:O 600. confirmavit,  
sic ianciendo : *Solennitates Eccle-  
siarum dedicationum per singulos an-  
nos sunt celebrande* (δ). Dies vero  
qvibus hæ anniversariæ confe-  
rationes celebrarentur apud hos-  
ce olim erant illi ipsi, qvando  
primum hoc vel illud templum  
dedicatū fuerat. Sic i 4. diem mens.  
Sept. qvotannis festivitati templi  
Salvatoris Hierosolymis destina-  
tum fuisse ex Nicephoro (ε) di-  
cimus. Hinc plurimi festi dies,  
qvos in antiquorum Historiis de-  
pre-

prehendimus, profluxere. Hinc litteræ illæ notissimæ, & adhuc passim residuæ, præcipue in Archivo nostro regio Holmiæ servatæ, remissionem peccatorum nunc 40. dierum, nunc unius anni atque 40. dierum, lucem viderunt. Qvamdiu vero vel per qvot dies solennitatem huiusmodi consecrationis continuarint, difficile est dictu; cum qvosdam sanctosqvibus templa consecrabât antiqui pluris fecerint, qvosdam minoris; qvod potuit cauſa esse vel longioris vel brevioris festivitatis. Atque sic aliquibus celebrarunt & profestum & festum ipsum, aliquibus non item, quae re consuli potest, Hosp. de festis, Dukman aliique. Interim supra memorati Salvatoris templi consecrationem qvotannis 8. diebus peractam fuisse Nicephor.

(2)

(?) nos docet. Præterea his consecrationib<sup>9</sup> convivia & coñessationes addebatur, ut Gregorii statutum nos docet lib. 9. *Indict.* 4. Epist. 71. ad Augustin. Anglor. Episcopum; ubi tabernacula circa Ecclesias erigi jubet de ramis arborum, ut in illis, religiosis conviviis solennitatem qvisque celebraret diei consecrationis. Diñtus modo Gregor. non est primus eorum institutor, sed tantum confirmator. Nam ejusmodi convivia damnata sunt in concilio Nicæno (n). Consecrationem adeo necessariam esse credebant veteres, ut si qvæ in templis antea agebantur, omnia irrita haberent. Hinc Upl. L. Kirck. IV. Flock. statuit: *Biskupper a ther kuma / och Kirckio wi-  
gie / th at af ordom wärder qwic-  
ker( en lefvandes mennistia ) fri-  
ster/*

ster / och Kirckiu hälagd. Quan-  
tam autem Episcopus pro opera  
sua circa hoc negotium accipe-  
ret , dimetiebantur secundum  
quantitatem templi. Pro minino  
12. orulas, pro mediocri 3, &  
pro maximo 8 marcas haberet.  
(9) De cætero , cui, vel in cu-  
jus honorem primum Christiani  
templa sua consecrarint, porro  
videbimus. Qva in re nullum est  
dubium, qvin domus, ubi con-  
venerunt Christiani ante tempo-  
ra Constantini M. vocatæ sint do-  
minicæ, hoc est, domus domini.  
Et ipsum Constantin. M. DEo so-  
li, non sanctis dedicasse templo  
testatur Euseb. (1) Qui laudabilis  
mos adhuc A:o Dni 400. viguit  
(\*). Et licet exstiterint plurima  
templa Augustini tempore nomi-  
nibus sanctorum insignita, ut A-  
lexandriæ Dionysii & Theonæ  
(λ); Augustinus tamen & Sozo-  
me.

menuſ (μ) teſtantur, qvod hæc non ſanctis in honorem dedicata ſint, ſed ad recordationem even- tuum, qui acciderunt tunc in Ec- cleſia Christiana, cum hoc vel il- lud templum erigebatur, ut ex- emplo Athanasii templi pluribus ibidem oſtendunt. Exoriebatur itaqve hæc conſuetudo tempore imperatoris Justiniani circa annū 500. Justinian. V. (·). Hic vo- luit, ut Deiparæ virginis Mariæ, a- lijsqve templa fierent. Alii ut Ruffin. in Hist. Eccleſiaſt. (ξ) atqve Sozomenus (◦) ad Theo- doſii M. tempora hoc rejicere volunt, ut templa ſanctis honori exſtruuerentur. Tempore vero Lutheri hic mos, ut & fan- torum cultus proſcribebatur, ut paſſim conſtat. De novo con- ſecrabantur quoqve apud anti- quos Christianos templa, ſi vel peni-

penitus combusta fuere, ut canones ver, ostendunt, vel funditus corruerunt, & denuo reparatae sunt ( $\pi$ ) vel demum, si dubium exoriretur, num consecratum fuerit hoc vel illud templum, nec ne ( $e$ ). Voluit Ecclesia antiqua hoc ipsum tam late extendere, ut si delictum aliquod commissum fuisse in templo, e. g. adulterium, nil ibi prius postea agendum esse censerent, quam reconssecratione purgaretur ( $\sigma$ ). Verum primitivam Ecclesiam ad hoc ubique non attendisse animadvertisimus. Diacono enim quodam templum Constantinopolitanum stupro feminæ cuidam nobili illato, polluente, nullibi reconssecrationem ejusdem leges, sed illud tolim, quod ab officio remotus fuerit adulteriste ( $\tau$ ). Verum satis de his. Jam immunitates, quas templa in consecratio-

ne

ne acceperint, sub considerationem vocabimus.

- (α) Euseb. lib. 4. de vita Constantini.
- Atbanasius Apologia 2. pro Christ.
- (β) lib. 21. comment. (γ) Nicephorus l. 8. c. 50. (δ) Dist. 1. can. solenn. de consecrati.
- (ε) lib. 8. cap. 50. (ζ) ibidem.
- (η) Höff. de dedication. (θ) Wästmann. Lagens R. B. 3. Fluct.
- (ι) lib. 3. de vit. Constant. M. (κ) Augustin. in Psalm. 94. (λ) Euseb. lib. 3. cap. 6. (μ) lib. 7. cap. 5. (ν) Epiphanius Constantinop. urbis Episcop. Constitut. 3. (ξ) lib. 2. cap. 27 & 28.
- (ο) lib. 7. cap. 24. (π) Decretum Iustini I. dist. de Fabrica. (ρ) Felic. I. Statutum circa anno 278 & confirmatum concilio Cartaginensi cap. 6. (σ) Alexand. III. decretum lib. 5. decretalium eiusdem. 16. (τ) Höff. de dedicat. T.

### ¶. X.

**C**hristiani primitivæ Ecclesiæ,  
E qvin

qvin maximi fecerint templa sua,  
 nemo dubitet, & illum singula-  
 ri prosecuti sunt diem gaudio,  
 quo primum hæc aperire illis con-  
 cedebatur. Hinc conveniebat  
 inter eos, quod nunquam quis  
 ea violaret. Et quam indigne  
 tulerint Ecclesiæ violationē tem-  
 plorum, colligi potest ex variis &  
 conciliis & synodis, in quibus  
 de hoc pluribus agebatur, ne tem-  
 pla inquinaretur. Sic in conci-  
 ilii Constantinopolit: can. 88.  
 sanciebatur: Ne quis jumentum  
 in templum induceret, qui se-  
 cus fecisset, si esset laicus, ex-  
 comunicari, si clericus, deponi ju-  
 bebatur. Et in Synodo Carthagi-  
 nens 4. A. 418. habita præcipie-  
 batūr: Ne quis mercimonia vende-  
 ret, intra templorum ambitum. Præ-  
 stabant ab omni vi tutum anti-  
 qui Christiani non solum ipsum  
 templum, sed & omnes res, tam  
 mobiles

mobilis quam immobiles, ei subje-  
 etas. Hunc in modum de ea re san-  
 xit antiquitus Wāng. L Kirck. B 21.  
 Cap. Alle ågha i Guds fridhi wa-  
 ra / och the helgha Kirckio / the  
 Guds licama fèrghia / och ther aro  
 med i Flock och farunöte. Hvar  
 som den frid bråter / thet är  
 swå gilt / som thet ware giordt  
 i Kirckio siefwe. Aream quoque  
 templi profanare scelere aliquo,  
 ut homicidium patrando, vel  
 vulnus alicui infligendo maxi-  
 me detestabile fuit. Quid? quod  
 colloquia ibi nulla inter se confere-  
 rent homines, ut de ipso templo nil  
 loquamur; quod sanctum est in  
 synodo Salegunstadiensi. A:o  
 1203. habita cap. 9 Jūramenta  
 præterea, adeoque nec homa-  
 gia antiquitus in templis fu-  
 eri concedebatur. Ne mandata  
 publica & secularia vel in atriis  
 Ecclesiarum, vel in ipsis Ecclesi-  
 is.

is recitarentur, in synodis o-  
lim sanciebatur Arelatensi cap. 23.  
& Turonensi cap. 39. Neqve in  
tempis quondam de caussis age-  
batur, qvæ sanguinis effusionem  
& corporalem aliquam pœnam  
concernebant. Hoc si quis fecis-  
set, anathema esset, ut videre est  
ex Lucii statuto a. 1183 edito.  
Brevibus: Ecclesiæ ne ullis mun-  
danis exponerentur suppellectili-  
bus, sanxit concilium Lateranens.  
a. 1215 sub Innocent: III. habitum  
cap. 19. Bello insuper exorto, in-  
ter Christianos imperantes, vi-  
ctorem in templis sœviisse, nullibi a-  
nimadvertisimus. Præcipuum ve-  
ro apud Christianos templorum,  
& quidem cum gentilium fanis  
commune, jus erat, ut antea  
quoque ostendimus, quod fugi-  
entem illuc rvtum ab omni  
præstiterint violentia. Templo  
Christianis asyla olim fuisse multi

Hi-

Historici tradunt, sed quando ea  
consuetudo exorta sit, plurimum  
dissentient. Quidam, ut Cranzi-  
us lib. 2. cap 1. aliqui Bonifaci-  
um, qui pontificatum tenuit, cir-  
ca annum D. 623 primum hujus  
immunitatis auctorem constitu-  
unt. Alii & illi quidem, ut nobis  
videtur rectius, dicunt, quod hoc  
longe ante Bonifacium non fo-  
lum a Pontificibus, sed & impe-  
ratoribus atque conciliis sit insti-  
tutum (3). Petrus de Natali-  
bus (γ) definit tempus, dicendo:  
*Sylvestrum 1. tempore Constantini M.*  
*jam decreuisse mortis reos ad*  
*templaz configuentes recipiendos esse*  
*atq[ue] liberandos.* Et haec antiqui-  
ora tempore Bonifacii facere,  
collatio Historicorum jubet,  
ex quibus discimus, quod pri-  
mum privilegia atylorum non fu-  
erint tanta, quanta demum ann.  
D. 500 & post facta sunt. Conf.

Concil. Aurelianen. can. I, ubi  
fanciebatur, ut templum aræ-  
que sine discrimine quibuscun-  
que essent refugii loca, sive ho-  
micina, adulter vel fur esset, aut  
alia scelera commisisset. Qvæ ve-  
ro postea fuerit facies hujusmo-  
di asylorum, brevibus tantum  
modo ostendemus. Nimirum va-  
riæ fortunæ obnoxia erant. Nunc  
amplificabatur jura eorum, nunc  
minuebantur; donec prudentia  
imperatorum, ut Carol. M. (d)  
Et Rudolph. I. (s) statueretur,  
ut aperta quidem essent omnibus  
templa, quotquot illuc confuge-  
rent, sed custodirentur tamen af-  
fidue, ne inde effugerent interea  
temporis, dum de facto cujusque  
qvæstio haberetur. Atqve sic pau-  
latim hic mos decrescere cœpit,  
& demum evanuit. Multa qui-  
dem adhuc sigillatim dicenda fu-  
pererent de juribus templorum  
in

in Patria, tam sub Papismo,  
quam post reformationem religi-  
onis; sed, quum neque temporis  
neque facultatum ratio plura ad-  
dere permittat, imponimus finem,

S. D. G.

(α) Pet. *Dijkman de antiquitat.*  
*Ecclesiast.* (β) *Genebrad. in Chronolog.*  
*sua fol. 672.* (γ) *lib. 2. cap. 23, Ca-*  
*talog. sanctorum* (δ) *Aventin. lib. 4,*  
*annal.* (ε) *Coloniens. concil. cap. 13*



oñalas. dñs mas. qñtñs al  
sacerd. mñjoritario qñq nñm  
mñjoritario ayrañ mñr. qñl qñz  
qñl sñl qñl mñjoritario qñl qñz  
mñjoritario qñl mñjoritario qñl

○ - 18 - 2

qñl mñjoritario qñl mñjoritario (a)  
qñl mñjoritario qñl mñjoritario (a) qñl mñjoritario  
qñl mñjoritario qñl mñjoritario (a) qñl mñjoritario  
qñl mñjoritario (a) qñl mñjoritario  
qñl mñjoritario qñl mñjoritario (a)

